

quod de reliquis scribit Chrysoftomus. Dum enim rationes exponit, cur ἀποκάλυψιν Ioanni tribuere auctori nequeat, inter reliquas et hanc affert, quod ab initio nomen auctor suum fuerit professus, more, institutoque, a Ioannis moribus plane alieno, qui nec in Euangelio, nec Epistolis nomen suum adscripserit. Verba eius apud Eusebium, qui Dionysii nobis fragmenta passim asseruauit, sunt sequentia Lib. VII. H. E. cap. XXV. ὁ μὲν γὰρ Ἐυαγγελιστῆς, οὐδαμῶς τὸ ὄνομα αὐτοῦ παρεγγράφει· οὐδὲ κηρύσσει ἑαυτὸν, οὔτε διὰ τοῦ Ἐυαγγελίου, οὔτε διὰ τῆς ἐπιστολῆς. Quae ideo obseruari merentur, siquidem luculenter constat, iam istis temporibus in fronte Euangeliorum illas lectas fuisse inscriptiones, quae hodieque ibi apparent. Origenes enim, cuius hic Dionysius fuit discipulus, plus simplice uice Euangeliorum libros cum titulis uulgatioribus excitat. Ita L. I. contra Celsum p. 27. dicit, Celsum παραθέμενον πολλὰ ἀπὸ τοῦ κατὰ Ματθαῖον Ἐυαγγελίου. Et L. II. p. 57. οὐκ ἄτοπον, inquit, ἡγῶμαι παραθέσθαι τοῦ Ἰησοῦ τινὰ φωνὴν ἀπὸ τοῦ κατὰ Ἰωάννην Ἐυαγγελίου. Quod si uero credidisset Dionysius, istos titulos ab ipsismet auctoribus profectos esse, qui scribere, quaeso te, potuisset, non solitum fuisse Ioannem nomen suum apponere libris.

X. Confirmor magis in hac sententia, cum uideam, aliud titulis pro lubitu insertum, aliud in iisdem omissum esse. Vt ὑπερον πρότερον committam, prouoco saltem ad Actus Apostolorum, qui in quibusdam codicibus MSS. statim Euangelio Lucae subiiciuntur, neque aliud eius nomen praefixum habent. Quod propterea factum esse credo, quod unum agnoscebant auctorem, et secundum historiae, a Luca consignatae, librum constituebant. Ipse namque Lucas, ab initio Actuum proficitur, se πρῶτον fecisse λόγον, per λόγον librum intelligens, in quo res Christi gestas complexus erat. In quo significato λόγος non raro accipitur. Ita Eusebio passim συνόνυμα sunt λόγοι, et συγγράμματα, testibus

stibus